



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Approbatio D. Doctoris D. Christophori De Gvzman, Sereniss. Cardinalis
Infantis, Archiepisc. Toletani, Magistri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

APPROBATIO D. DOCTORIS
D. CHRISTOPHORI DE GVZMAN,
SERENISS. CARDINALIS INFANTIS,
ARCHIEPISC. TOLETANI, MAGISTRI.

EX commissione D. Doctoris Ioannis de Mendieta, Vicarij Generalis Madriti, per Serenissimum D. ac D. meum Infantem Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, vidi, attenteque legi peregregium Tractatum de Matrimonio & Censuris, à grauiissimo & sapientissimo P. Doctore Gaspare Hurtado è Societate Iesv, & in eadem Compluti Theologiæ Primario Professore: Opus quidem valdè elaboratum, & quod mirabilius mihi est, cum breuitate sermonis, omnibus numeris absolutissimum, ita vt in eo nihil desiderandum reperiatur; nam & insignis resolutio sacrorum Canonum, necnon & Iuris ciuilis, quantum in hac parte opus est illis, subtilis & solida intelligentia, in dicendo consequentia, & Theologiæ Scholasticæ sollicita indagatio, maximè in hoc Opere enitent. Quare cum sanam & veram doctrinam in nihilo nostræ fidei aduersantem, scholis vtilissimam contineat, dignum censeo vt typis mandetur, & in fructum vsuq; plurimorum publicè appareat. Madriti die vii. Septembris anno Domini M. DC. xxvi.

Doctor D. Christophorus de Guzman.

APPROBATIO.

DE mandato Dominorum summi Hispaniarum Senatus, vidi Tractatum de Matrimonio & Censuris, ab eruditissimo P. Doctore Gaspare Hurtado Societatis Iesv, & Compluti Primario Theologiæ Professore dignissimo compositum, Opus quidem multa breui sermone, & singulari resolutione mirum in modum doctissimè complectens; nihil in eo contra bonos mores, aut nostram sanctam Fidem, multa autem notatu digna inueni, quæ, & omnia in eodem Tractatu contenta, tam Theologis quàm Iuris vtriusque Professoribus grata erunt; & ideo censeo valdè proficuum fore, vt typis mandetur, religionique & eruditioni Auctoris, quasi debitum, vt ad id licentia concedatur. Madriti xv. Decembris M. DC. xxvi.

Gaspar Anguiano Iuris vtriusque Doctor.

TRA